grenio exorti, qui dissidia de illo arcano ac Mysterio tremendo, perniciosa, ac periculi summi plena mouerunt, & astutissimis consilijs atque operis ad inuicem distributis, eas inuenire rationes studuerunt, quibus paulatim abolita & reuulsa ex animis & mentibus auditorum perpetua Lutheri de Cœna Domini doctrina & sententia, inflecterent ac præpararent animos iuuentutis inprimis in scholis, & imperitæ plebeculæ, ad opiniones & deliria Sacramentaria concipienda & admiranda: Id enim molitos esse non paucos, & quidem illos ipsos, quibus præcipuarum in his terris Ecclesiarum, imo Academicarum etiam curam C. uestra concredidit, quosque euectos supra alios doctrinæ & eruditionis præstantia eminere, sibique fidelissimos fore Excelsitas uestra existimauit, documenta ostenderunt ac demonstrarunt literarum ac libellorum Excelsitati uestræ prodita atque oblata diuinitus.

Ac ne quid ad fraudem deesset, artibus Sacramentarijs res instructa fuit ac disposita mirifice. Eò enim impudentiæ iam olim οἱ μυστηριομάχοι processerunt, ut uiuenti Philippo ob-